



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 102. Novus libellus Gubernatrici porrectus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

nis imaginem Filium Jesu complexu  
foventis exprimi argenteis aliquot  
numismatis curavit, cum vero is Guesio-  
rum societati vehementer adversaretur,  
inde redux ejusmodi numisma in  
pilei sui spira gestavit, illudque ab iis,  
qui cum eo erant, deferri voluit, velut  
theseram, qua ipsi ab iniquæ socie-  
tatis fautoribus discernentur: quam-  
primum igitur Dux Bruxellas vene-  
rat, multi Nobilium eum imitan-  
tes hujusmodi capitis insigne de-  
ferrebant, eorumque numerus brevi  
plurimum augebatur. Hoc pietatis  
studio summopere gavisâ Gubernatrix  
rem Pio V. Pontifici perscripsit, qui  
comprobata hac devotione, ac Catho-  
licorum religione numismata illa rite  
sacrabat, atque iis, qui sacros ejus-  
modi nummos pie gestarent, ac quas-  
dam preces funderent, noxarum ve-  
niam indulfit.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1566.

## §. CII.

*Novus libellus Gubernatrici porrexitus.*

Interea Brederodus, priusquam Bru-  
xellis discedebat, postulata firmatu-  
rus ad Gubernatricem rediit, eumque  
comitati sunt Ludovicus Nassavius,  
Bergensis, & Culemburgius Comites,  
præcipui Guesiæ factionis fautores, qui  
una-

Thuan. l. 40  
Strad. l. 5.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1566.  
 unaomnes postulata jam antea propo-  
 sita innovabant, tradito hanc in rem  
 novo libello: addidit tamen Bredero-  
 dus: „illa Regis decretum ab  
 „Hispania expectandi mora, con-  
 „citatis, furentibusque populorum ani-  
 „mis importuna est: ego equidem pro  
 „ea, quam patriæ debeo, charitate  
 „Celsitudini vestræ aperui Belgarum  
 „vota in seditiones brevi absque dubio  
 „eruptura, si nihilominus præcipiti  
 „malo remedia tam lenta, & longin-  
 „qua petere obfirmato animo decernis,  
 „testor Deum, hominesque, quod  
 „Belgica nobilitas, quidquid adverfi  
 „contigerit, a culpa, malisque Bel-  
 „gio impendentibus immunis sit. Sed  
 „nihil his mota gubernatrix ita repo-  
 „suit: spondeo non modo moras om-  
 „nes, festinatis in Hispaniam nuntiis  
 „præcidendas, sed etiam occasiones  
 „tumultuandi tollendas, admonitis  
 „quæstoribus, turbiumque Magistrati-  
 „bus, ut rem mitius procurent: inte-  
 „rim unum a vobis cum cura, & se-  
 „rio flagito, ut vos eo magis muneri  
 „vestro satisfaciatis, ac nova super  
 „hæc moliri, alios foederi adscribere,  
 „aut privatos conventus agere desista-  
 „tis: de cetero ego id omnino faciam,  
 „quod asserendæ in hisce provinciis ve-  
 „teri Religioni, regiæque auctoritati  
 „con-

„convenire muneris mei ratio per-  
 „suadebit.“

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1566.

## §. CIII.

*Conjurati suam societatem edito li-  
 bello honestare satagentes.*

His dictis fœderati recesserunt, om-  
 nesque Urbe egressi sunt, exceptis *Strad. l. c.*  
 nonnullis, qui totius rei successum ex-  
 ploraturi remanserant: itaque Brede-  
 rodus, Culeburgius, & Bergensis  
 Comites simul abeuntes cum centum  
 quinquaginta equitum comitatu, pri-  
 mus quidem Antverpianam, reliqui vero  
 duo in Geldriam secessere: cum autem  
 Margarita Gubernatrix per suos explora-  
 tores edoceret, quod Brederodus Ant-  
 verpianos ad seditionem concitaret,  
 quamvis illum sese intra modestiæ li-  
 mites continere Magistratus scripsisset,  
 illa tamen hac de re Regem certiore  
 fecit: interea ceteri conjurati per  
 omnes Provincias spargebant, quod  
 eorum postulatis plene satisfactum esset,  
 ut autem id eo firmiter vulgo persuade-  
 rent, in eam sententiam libellum, E-  
 quitum aurei Velleris nomine scriptum  
 mentiuntur, ut suam apud eum  
 ordinem gratiam, potentiamque po-  
 pulis venditarent, & Equitum fi-  
 dem Gubernatrici suspectam redderent:  
 porro Libelli verba hæc fuere. *Fides  
 publi-*